

CK. 278.

13.

*D. Mich. Waltheri*

I. N. J.

Zf  
3350

DECANUS  
FACULTATIS THEOLOGICÆ IN  
ACADEMIA WITTENBERGENSI  
JOH. ANDREAS  
QVENSTEDT,

SS. THEOL. D. EJUSDEMQUE  
PROF. PUBL. FACULT. THEOL.  
SENIOR, CONSISTORII ECCLESIASTICI AS-  
SESSOR ET TEMPLI OO. SANCTOR.

PRÆPOSITUS,


*X 2122709*

*Lecturis Salutem in Domino  
JESU!*



WITTENBERGÆ,

Imprimebat MATTHÆUS HENCKELIUS, Acad. Typogr.  
ANNO M DC LXXXVII.



I. N. J.

DECANUS

FACULTATIS THEOLOGICAE IN  
ACADEMIA WITTENBERGENSI

JOH. ANDREAS

QVENSIEDT

SS. THEOL. D. P. JUR. D. P. MOV. P.

PROF. PUB. FACULT. THEOL.

SENIOR, CONSISTORII REGIARUM AS-

SESSOR ET THEOLOG. SACCATOR.

WITTENBERG,

Edmundus Gumbertus in Dominio

1733

CC

Impressum in Typographia Universitatis Wittenbergensis  
per Johannem Gumbertum





Electum Christi ὄργανον, Apostolus Paulus, cum in Epist. I. ad Timoth. cap. III. virtutes & requisita verorum Theologorum & Ecclesiae Doctorum accuratè descripsisset, tandem, ut munere hoc laborioso, & *ipsis* etiam *Angelicis humeris tremendo*, Bernhardo iudice, alacriter fungantur, dulci promissione ac præmiorum spe animos eorum confirmat & excitat, inqviens v. 13. οἱ καλῶς διακονήσαντες, βαθμὸν ἑαυτοῖς καλὸν περιποιῶνται. *Benè ministrantes gradum sibiipsis bonum acquirunt.* Quamvis his verbis Apostolus in specie Diaconos respicere videatur, nihil tamen obstat, quò minus ea in genere, ad omnes munus sibi à Deo demandatum fideliter administrantes referantur. Καλὸν βαθμὸν autem, sive *bonum gradum* alii exponunt de *incrementis cælestis gratiæ & accessione donorum spiritualium*, ut Bernhardus, Bened. Justinianus, Aretius &c. alii de *gradu excellentiori in regno cælorum*, ut Theodoretus, sed rectè monet Estius Jes. Com. in h. l. *insuetum esse, ut ista per gradum bonum in Scripturâ S. significantur.* Pleriqve *gradum bonum* de *honorum Ecclesiasticorum succedaneis incrementis* interpretantur, è quorum numero sunt Chrysostomus, Theophylactus, Ambrosiaster, Oecumenius, Thomas, Cajetanus, Salmeron, Estius, Cornelius à Lapide &c. Ex nostratibus hanc interpretationem amplectuntur B. Hunnius Com. in h. l. ubi inquit; *Hæc ratio respicit totum officium, benè rectèqve ad-*

*ministratum; qui in minori officio suam fidelitatem proba-  
runt, ad superiorem in Ecclesiâ gradum suo tempore prove-  
buntur.* B. Gerhardus senior in Notis ad h. t. ait; *βαθμὸν  
ἐαυτοῖς καλὸν περιποιῶνται, acquirunt sibi gradum bonum,  
ut ad majora officia in Ecclesia promoveri possint, hanc-  
que expositionem maximè textui congruere, asserit.* B. D.  
Calovius in Bibl. Illustr. ad h. l. laudat verba Theophylacti  
dicentis; *Qui infimis fuerint in rebus solertiores, ad sum-  
ma mox pertingent fastigia.* Et subjicit; *Sic ante ipsum  
Chrysostomus, & post eum Oecumenius.* Imò si Estio cre-  
dimus l. c. plerique tam Græci quam Latini hunc sensum  
reddunt, videl. *Qui in inferiori officio benè ministrant,  
illi superiori loco dignos se præbent.* Et licet non desint,  
qui hanc interpretationem menti Apostoli congruere, in-  
ficientur, æqvitati tamen & priscis Ecclesiæ moribus ma-  
ximè consentanea est. Uti enim hoc cuivis humanæ so-  
cietati, velut à naturâ magistrâ imperatum est, ut eos, qui  
ingenii vires augustioribus subinde studiis suscipiendis &  
perficiendis admovent, ad honores debitos evehat, qui  
animum honestatis avidum ad majora semper inflam-  
mant, ita meritò spes promotionis illis fit, qui Ecclesiæ in  
munere aliquo inferiori industriam suam ac fidelitatem  
approbant. Et huic instituto servando antiqua Ecclesia  
tam pertinaciter inhæsit, ut neminem ferè Episcoporum  
suorum laudet, quem non ab imis in Ecclesiâ subselliis ad  
suprema promoverit. Sic Cyprianus Lib. IV. Epist. 2. ad  
Antonianum, Cornelium Pontificem Rom. hoc nomine  
commendat, quod non subitò, sed gradatim ad Episco-  
patum evectus sit. Chrysostomus, totius Græciæ decus,  
imò totius Orbis terrarum Doctor, ut est apud Theodore-  
tum, primùm in Ecclesiâ Antiochenâ Lectoris officio  
tribus annis defunctus est, postea in Diaconatu quinque  
an-

annis exercitus & tanto deinceps tempore Presbyteratu  
clarus, denique ab Arcadio Imper. Constantinopolim ad  
Episcopi munus accersitus fuit, ut scriptores vitæ ejus &  
Tripartitæ Historiæ autor lib. X. cap. 3. testantur. B. Hie-  
ronymus, 'ut ipse quidem lentum in Ecclesiâ gradum mo-  
vit, ita Nepotiani sui Epitaphio hoc encomium inseruit,  
quod *Clericus factus per solitos gradus ad Presbyterium  
usque decurrerit.* Augustinus summus totius Ecclesiæ  
doctor primùm à Valerio Hipponensium Episcopo Evan-  
gelium prædicare & Conciones habere jussus est, deinde  
Presbyter, ac tandem Antistes illius Ecclesiæ factus est.  
Hinc in Retractationibus suis (quas ille ferè solus scripsit,  
librorum à se scriptorum Catalogum illis Chronologiæ  
notis distinxit, ut cuivis appareat, quæ Catechumenus,  
quæ jam baptizatus, quæ Presbyter, quæ factus Episcopus  
scripserit. Athanasium, Columnam illam Ecclesiæ con-  
tra omnes hæreticos, laudat Gregorius Nazianzenus Ora-  
tione in laudem ejus habitâ, quæ est XXXI. inter illas, quas  
Leonclavius in Tomo II. Operum Basilii congescit, quod  
non statim, nec festinanter, sed per sacras vices, perque o-  
mnem graduum seriem paulatim promotus ad sacram  
populi præfecturam transierit. In primis illustre elogium  
est, quod jam dictus Gregorius Basilio, re & cognomine  
Magno, Cæsareæ Cappadocum Episcopo tribuit, Orat.  
præced. XXX. quam in laudem ejus habuit: *Hunc, inquit,  
multiplex Dei beneficentia & providentia in multis ante  
muneribus exploratum, ac quotidie clariorem, illustriorem-  
que compertum in sacrum Presbyterorum ordinem adscri-  
psit, luculentamque Ecclesiæ facem, memorabilemque propo-  
nit, ac per unicam Cæsariensem Civitatem universo terra-  
rum Orbi prælucens, in quo hanc etiam rationem tenuit,  
ut non repente eum ad bujusmodi gradum subveberet, non*

eodem temporis momento salutari aquâ tingeret, ac sapientiâ instrueret, quod plerisque eorum accidit, qui nunc ad præfecturas cupiditate inflammati rapiuntur. Verum ordine ac spiritualis progressionis lege, hoc cum honore affecerit. Nec enim mihi perturbatio illa, temeritasque probatur, quæ apud nos interdum & in nonnullis, primarias sedes Ecclesiæ tenentibus, oboritur (nec enim eò audaciæ progrediar, ut omnes accusem, iniquè enim facerem, verùm nauticam legem præclaram censeo, quæ gubernaturo futuro primùm remos committit, deinde ad proram collocat, sicque prioribus muneribus ipsi commisisis, tandem eum, post diuturnam maris verberationem ac ventorum observationem, ad gubernacula constituit. Eadem rei militaris est ratio; Miles primùm, deinde Centurio, denique Imperator &c. Antistes nonnunquam invenitur, non elaboratus, sed simul satûs ac provecus, quemadmodum Gigantes Poëta finxerunt &c. At non eadem Magni, egregiique Basili ratio fuit, quin potius, ut aliarum omnium virtutum, sic etiam moderationis in his rebus tenenda exemplar se præbuit. Nam cum prius SS. libros populo lectitasset, qui eorum explanator erat, nec hunc sacerdotii gradum indignum se duxisset, ita demum in Presbyterorum ac deinde in Episcoporum cathedrâ Dominum laudavit. Hæc Gregorius præclare.

Horum primitivæ Ecclesiæ luminum, S. Chryso-  
mi, Hieronymi, Augustini, Athanasii & Basili vestigia  
pressit, & juxta Apostoli effatum, munus inferius, h. e.  
Philosophicum in hac Academia per Viginti & unum an-  
nos bene ac fideliter administrando, acquisivit sibi piis  
precibus, studio indefesso, & vitâ inculpatâ καλὸν βᾶθμὸν,  
fun-

functionem altiorem, nempe Theologicam, Admo-  
dum Reverendus, Amplissimus ac Excellentissimus DN.  
MICHAEL WALTHERUS, haftenus Mathema-  
tum Superiorum Professor Publicus Ordin. & Electora-  
lium Alumnorum Ephorus, jam verò SS. Theologiae Pro-  
fessor Publ. designatus. In lucem editus Is est, Auricae  
Frisiorum, anno recuperatae per Christum gratiae cIo Ioc  
XXXVIII. die 3. Martii, Patrem habuit, Virum summè  
Reverendum, Amplissimum atque Excellentissimum,  
DN. MICHAELEM WALTHERUM, Doctorem  
Theologum de Universâ Christi Ecclesiâ voce & calamo  
præclarissimè meritum, Ecclesiarum, Scholarumque per  
Ducatus Cellensem & Grubenhagensem, Comitatusque  
Hojensem & Diepholtanum Superintendentem Genera-  
lissimum, Consistorii Ducalis Consiliarium & Pastorem  
Cellensem gravissimum, fidelissimumque; Matrem, No-  
bilissimam Matronam, sexus sui decus & ornamentum,  
MARIAM GLEISSENBERGERAM, ex antiquâ  
Prosapia Halberstadii ortam. Hic aureae stirpis aureolus  
ramus statim ab ipsis incunabulis optimae indolis indicia  
dedit. Elementa pietatis & Literarum feliciter didicit in  
ædibus paternis non ab uno Magistro. Fundamentis  
piæ eruditionis & eruditæ pietatis domi jactis, disciplinæ  
ac fidei Viri Clarissimi, deque ipso (quod ultrò fatetur)  
ac studiis Ejus incomparabiliter meriti, GUILLIELMI  
MECHOVII traditus, in Ludo Cellensi Autores Veteres,  
quos erudita dedit Græcia & hujus æmula reliquit Italia,  
propemodum omnes, ad comparandam sermonis puri-  
tatem, venustatem & ornatum, ad dicendi, differendique  
artificium, ad cognoscendum situm Orbis & res in eo ge-  
stas, ad cursus siderum, indeque intelligendos Poëtas, Sa-  
pien-

pienitiæ Magistros, mira temporis brevitatem, facilitateque, ut erat ingenii felicis ac memoriæ tenacis absolvit. Ad uberiorem cultum in illis ipsis Literis & ponenda Philosophiæ rudimenta in Academiam Juliam ablegatus est, Anno Christi c1o1oc LIII. d. 25. Octobr. ætatis decimo sexto nondum expleto. Ubi B. GERHARDUM TITIUM, Virum Optimum & Theologum celeberrimum, & hospitem & alterum quasi parentem nactus est. In Philosophico & Lingvarum studio excellentissimis Ductoribus usus est, videl. D. HERMANNO CONRINGIO, CHRISTOPHORO SCHRADERO, JOHANNÈ FELDEN, JOHANNÈ EICHELIO, JOHANNÈ BRENNECCIO, ac denique JOHANNÈ HOMBURGIO, Viris summis, Professoribusque Publicis celeberrimis, ut nihil nunc dicam de Magistris privatim legentibus & disputantibus, quos omnes sedulus ac attentus quotidie & cum insigni fructu audivit per duos integros annos & semissem. Inde accepto ab Academia vitæ decenter actæ testimonio Wittenbergæ felicem pedem intulit Anno Domini c1o1oc LVI. d. 15. April. eo consilio ut Philosophiæ studia feliciter cæpta continuaret & perpoliret, Lingvamque sanctam excoleret, imprimis verò ut puriorem sinceriorumque Theosophiam ex ore orthodoxorum Theologorum hauriret. Abhorrebat enim jam tum Excellentissimus Candidatus noster sicut à Papismi superstitionibus & Calvinismi argutiis, ita à Syncretismo, seculi nostri pestilentissimâ sentinâ. Quæ res Ipsi quoque per DEI gratiam ex sententiâ cessit, dum Doctores ipsi obtigerunt dexterrimi & longe fidelissimi, & quidem ex Amplissimi Ordinis Philosophici Adjunctis, JACOBUS  
TEN-



TENZELIUS , ÆGIDIUSqve STRAUCHIUS ,  
postmodum Theologi clarissimi, è Professoribus Phi-  
losophiæ excellentissimis præcipuè JOHANNES  
SPERLINGIUS , & cujus se debitorem ob innu-  
merabilia beneficia semper futurum profitetur , JO-  
HANNES ERICUS OSTERMANNUS , mul-  
torum annorum Ejus Hospes , imò verius Parens ;  
Theologi deniqve quotquot inde usque fuere , D. JO-  
HANNES SCHARFIUS , D. ABRAHAM CALO-  
VIUS , D. JOHANNES MEISNERUS , D. AN-  
DREAS KUNADUS , meritis in Ecclesiam mul-  
tis magnisque illustres , quorum omnium jam in cœ-  
lo triumphantium memoriam sanctè conservat. Nec  
nostras , qui adhuc per DEI gratiam vivimus , vid.  
DN. D. DEUTSCHMANNI & meas Lectiones  
& Disputationes neglexit , Admodum Reverendus  
Candidatus noster , sed & in illis cum auscultando ,  
tum opponendo abundè suam probavit industriam.  
Inprimis autem B. D. ABRAHAMO CALO-  
VIO , hæreticorum quondam malleo ut multa alia ,  
ita præcipuè acceptum refert , quicquid ad demon-  
stranda fidei nostræ dogmata è visceribus textuum sa-  
crorum pertinet. Sub cujus etiam , ut & ÆGIDII  
STRAUCHII præsidio , cum adversus Hugonem  
Grotium , tum de Manichæismo ante multos annos  
cum magno Audientium applausu publicè disputavit.  
Titulum atqve gradum Magisterii Philosophici Anno  
Chr. cl. lxx. d. 13. Octobris solenni ritu Ipsi con-  
tulit Amplissimus Philosophorum Ordo per AUGU-  
STUM BUCHNERUM summum in Literariâ  
Republ. Heroem. Elapso biennio dignitatem Adjun-  
cti

B

cti

cti jure merito adeptus est , quam spartam , apertis Collegiis Philosophicis, cum insigni studiosæ juventutis fructu exornavit. Absoluto Studiorum cursu, antequam ad publicum docendi munus promoveretur, lustravit plerasque in Germaniâ Academias alias, Lipsiensem, Jenensem, Herbipolitanam, Altorfinam, Ingolstadiensem, Tübingensem, Argentoratensem, Heidelbergensem, Moguntinam, Giessensem, Marpurgensem, Erfordiensis , atque eâ occasione summis & excellentissimis viris innotuit. Ex itinere redux DN. **CHRISTOPHORO NOTTNAGELIO** Viro integerrimo & de hac Academia optimè merito in Professione Mathematicum Superiorum Anno c1515c LXVI. d. 21. Julii , & DN. **JOHANNI ERICO OSTERMANNO** , Polyhistori , in Ephoriâ Alumnorum Electoralium Anno c1515c LXVIII, d. 20. Novembr. successit. Quid in utroque munere præstiterit , & quam egregiè utramque functionem docendo , & disputando ornaverit , notum est toti Universitati , ut opus non sit, filo prolixiore in præsentis diducere. Testes se sistunt plurimi studiosi qui Informationi Ejus dexterrimæ tantum non omnem eruditionem suam Philosophicam & Theologicam acceptam ferunt. Et fatendum sanè est , nullam Matheseos imò nullam totius Philosophiæ partem esse, quam non redegerit Excellentissimus Candidatus noster suo studio in meliorem ordinem , & explicaverit sæpissimè. Et cum probè sciret Collegium nostrum Theologicum, Ipsum cœlestis doctrinæ & Scripturæ Sanctioris mysteria penitus imbibisse , potestatem Scholas Theologicas instituendi illi concessis , qui &  
ipsum

Ipsius hucusque labor, cum demandatis muneribus,  
continuus fuit, atque quotidianus. Nunc à

*Serenissimo ac Potentissimo,*  
*Principe Electore Saxoniae,*  
*Domino ac Nutritio nostro*  
*clementissimo* præter expectationem, præ-

viâ deliberatione & Academia & Collegii Theologici,  
Ipsiusque commendatione honorificâ, SS. Theologiæ  
Professor Publ. Ordinar. designatus, à Collegio nostro  
Theologico licentiam gradum supremum in Theolo-  
gia prestandi modestè petiit, nostrum ergò fuit, obse-  
qui voluntati admodum Reverendi Dni. Candidati,  
utpote cui honores Doctorales, propter tot tantaque  
exquisiteioris doctrinæ, politioris iudicii, rarioris sci-  
entiæ Theologicæ, nec non Virtutum Theologicarum,  
quæ Virum DEI & Professore Theologum vel con-  
stituunt vel ornant, specimina, meritò debentur.

Idcirco in publicum totius Universitatis nostræ pro-  
scenium præditurus Admodum Reverendus Dn. Candida-  
tus noster Craßini horâ IX. antemeridianâ, Divinâ annu-  
ente Gratiâ ἀσκημάτων publicorum initium more con-  
sueti ab Oratione solempni in Acroaterio Majori faciet  
& subsequentibus diebus eadem horâ in Lectionibus  
Cursoriis vers. II. Capitis III. Epist. Jacobi succinctâ  
exegesi illustrabit.

Ro.

Zf 3350. OK

Rogamus autem *Magnificum Academia*  
*RECTOREM*, Patronos *Nobilissimos*,  
*Proceres ac Patres Academiae conscriptos*,  
*Doctores & Licentiatos omnium Facultatum*,  
*Venerandos Verbi divini Ministros*, ac de-  
*niqve universos Cives Academicos*, *Nobi-*  
*lissimos, Clarissimos, Præstantissimos*, reve-  
 renter, observanter, officiosè ac peramenter,  
 ut *Crastinâ die horâ dictâ, Magnificâ, con-*  
*spicuâ & gratâ sua præsentia actum hunc*  
*solemnem condecorare non dedignentur.*  
*Dominus JESUS dirigat institutum hoc ad*  
*Nominis sui gloriam, ad Ecclesiæ incremen-*  
*tum, veritatis salvificæ stabilimentum & Aca-*  
*demix nostræ ornamentum.* Per scriptum  
*VVittenbergæ & Sigillo Facultatis Theolo-*  
*gicæ firmatum, Dom. XI. post Trinit.*  
 Anno MDC. XXCVII.



10.17

MC



OK. 278. 13.

DE  
FACULTATI  
ACADEMIA  
JOH. A.  
QVEN

SS. THEOL.  
PROF. PUBL.  
SENIOR, CONSI

SESSOR ET T


PR

*Lecturis Sa*



Imprimebat MATTHA

ANNO



E IN  
NSI  
AS

VE  
OL.  
As-

709

